

Anno Domini 1244, 5 nonas martii, Guillelmus de Elves, qui proprio nomine dicitur Guillemus [f° 209 v°] Donadiu, de Mazerac, diocesis caturcensis, requisitus de veritate dicenda, de se ac aliis tam vivis quam mortuis, super crimine heresis et valdensis, testis iuratus, dixit se vidisse apud Najacum, in diocesi Ruthemensi, Petrum de Caussada et Grimaldum Donadeu, fratrem ipsius testis, et Petrum de Campo, hereticos, in domo quam tenebant ibi publice prefati heretici, et tunc ipse testis comedit ibidem de his que ipsi heretici dederunt eidem testi et post comestionem ipse testis discessit inde et abiit viam suam, de tempore quod sunt XX anni.

Idem, dixit se vidisse eosdem hereticos postmodum apud Cordubam ubi intraverunt domicilium suum et steterunt publice et tenuerunt operatorium artii textorie, et vidit semel in operatorio ipsorum hereticorum Guillelmum de [f° 210 r°] Virac, militem de Cordua, stantem cum ipsis hereticis, et tunc ipse testis ibidem semel adoravit ipsos hereticos dicendo ter "Benedicite", flectis genibus ante ipsos addendo post ultimum Benedicite : "Domini orate Deum pro isto peccatore quod faciat me bonum christianum et perducat ad bonam finem" et heretici respondebant in quolibet Benedicite : "Deus vos benedicat" et addebant post ultimun benedicite "Domini, orate, Deum pro isto peccatore quod faciat me bonum christianum et perducat ad bonam finem".

Adjecit etiam quod tunc erant in ipso operatorio Sicardus de Figueriis, qui erat hereticus et morabatur cum hereticis, et Talafer, de Sancto Marcello, et Petrus de Gironda, de Mazerac, qui addiscebant ibidem ad texendum cum ipsis hereticis.

Dixit etiam quod ipse testis bis comedit in operatorio ipsorum hereticorum, sed non cum ipsis hereticis in eadem mensa, de tempore circiter XX anni.

Item, dixit se receptasse apud Mazerac, in domo sua, Hugonem de Maorle et socium suum, hereticos, quos adduxit ibidem Petrus Donadeu, frater ipsius testis, et venerunt ibi ad videndum ipsos hereticos Ratairon, frater Bernardi de Belfort, et Bernardus de Belfort, frater eius, miles, et Petrus de Ala et Arnaldus de Garriga et Raimonda la Dosella¹, et ibi omnes adoraverun ipsos hereticos, sicut dictum est, et erant ibi ipse testi et Petrus Donadeu, frater ipsius testis.

Ajecit etiam quod tunc prefati hérétici comederunt in domo ipsius testis et frater ipsius testis dedit eis ad comendum et prefati heretici benedixerunt panem, moro suo, in principio comestionis et dederunt eidem testis de illo pane benedicto de quo ipse testis comedit postquam ipsi comederunt, et dixit tunc ipse testis, quando incepit comedere ipsum panem benedictum "Benedicite", sicut heretici instruxerunt ipsum testem et heretici responderunt "Deus vos benificat".

Dixit etiam quod frater ipsius testis, Petrus Donadeu, adoravit ipsos hereticos, ut predictum est.

Adjecit pretera quod frater ipsius Petrus Donnadeu et Arnaldus de Garriga in mane diei sequentis eduxerunt a dommo ipsius testis prefatos hereticos et abierunt cum eis viam suam, de tempore quod sunt XVI anni.

Item, dixit quod, cum ipse testis venisset in castro de Najaco, Petrus de Aussedac et Raimundus de Aussedac, fratres, sutores, duxerunt ipsum testem in domo Hugonis de Mureto ad videndum hereticos et, cum fuissent ibi, invenerunt in domo predicti Hugonis de Mureto, Guillelmum de Caussada, de Caussada et alios hereticos, tres cum eo, et erant ibi Hugo de Mureto predictus cum ipsis hereticis et Hugo Messella et Raimundus de Cambelas, de Najaco,

¹ L'article "la" est inconnu en latin, il doit s'agir d'une introduction de l'article féminin occitan dans le texte latin qui va avec Dosella qui est peut-être une transcription latine de l'occitan *donzella* (mademoiselle) qui dérive lui même du latin *dominicella*.

et Raimundus de Bosquet, et ibi ipse testis et alii omnes adoraverunt ipsos hereticos, sicut dictum est, quo facto, ipse testis de prefati fratres sutores abierunt inde et dimiserunt prefatos hereticos, de tempore circiter XVI anni.

Item, dixit se videsse in manso de Sompléssac Guillelmum de Caussada et Sicardum de Figuiers et Daide de Laucedat et Bernardum Carbonerium et alios hereticos et erant ibi Guiraudus de Sompléssac, et Petronille, uxor eius, et Guiraudus filius eorum, et statim ipse testis [f°212 r°] abiit inde et nuntiavit Petro Donadeu, fratri ipsius testis, quod heretici advenerunt in mansum predictum, et tunc frater ipsius testis predictus solus iit ad mansum predictum et ipse testis remansit, de tempore circiter VIII annos.

Item dicit se vidisse eosdem hereticos in manso de Lapradella, in honore de Caussada, et ibi erant cum ipsis hereticis Arnaldus de la Pradella et Arnaldus et Guiraudus et Raimondus, filli ipsius Arnaldi de la Pradella et Bertrandus de la Garda, miles de Monte Alzat, et Petrus de Lacomba, de ipso manso, et Guillemus del Sejal, de Caussada, qui attulit pisces ipsis hereticis, et ipse testis et Guillemus del Sejal, de Caussada, adoraverunt ipsos hereticos, sicut dictum est.

Dixit etiam quod tunc ipse testis comedit ibidem, sed non cum eisdem hereticis [f° 212 v°] in eadem mensa, et postmodum ipse testis abiit inde et tenuit viam suam et heretici remanserunt, de tempore quod sunt IV anni.

Item, dixit quod cum ipse testis venisset in castrum de Najaco, Petrus de Aucedat, sutor, dixit eidem testi quod post spacium VIII dierum ipse testis veniret in castrum de Paris, quia inde ipse testis assumeret hereticos et associaret eos et esset inde bene remuneratus, et ipse testis, post multa verba, promisit se venturum ad ipsum castrum de Paris, et tunc, elapsis prefatis 8 diebus, ipse testis venit ad castum de Paris et invenit in domo Sebilie Estive Guillelmum de Caussada et Aimericum de Colleto et Sicardum de Figuiers et alios hereticos et erant ibi Petrus de Salas, de Paris et Sibilia Estiva et Estiva, filia eius, et ibi ipse testis [f° 213 r°] et omnes alli adoraverunt ipso hereticos, sicut dictum est, et, hoc facto, ipse testis et Donadeu de Gironda, qui venerat cum ipso teste, qui similiter adoravit ipsos hereticos, assumpserunt ipsos hereticos et aduxerunt eos a domo predicta et associaverunt eos, volentes eos ducere ad mansum de Sompléssac, verum tamen, dum erant via, Guiraudus del Gaucer et Raimundus, milites de Penna d'Albigensio, et quidam gallicus et Guiraudus de Senesellas invenientes ipsum testem et hereticos memoratos ceperunt ipsum et hereticos memoratos, de tempore quod sunt V anni.

Item, dixit quod ²ipse testis venisset a casu quadam die in domum Matfredi Amelii, de Penna de Albigesio, invenit ibi Johannem de Colleto et Aimericum de Colleto et [f° 213 v°] Petrum Capellanum, hereticos, qui stabant et calefaciebant se ad ignem, et erant³ ibi Berengeria, mater Matfredi Amelii, ipse testis adoravit ipsos hereticos et, hoc facto, ipse testis recessit inde et heretici remanserunt, de tempore circiter IV annos.

Item, dixit se vidisse eosdem hereticos in domo predicta et erant ibi Matfredus Amelii et Berengeria, mater eius, et erant ibi ipse testis qualibet vice adoravit ipsos hereticos, sicut dictum est, de tempore quod supra.

Item, dixit se vidisse apud Penam d'albigensio, in domo Guillelmi de Cassanha, Sicardum Lanullum et socium eius, hereticos, et venit ibi ipse ad videndum ipsos hereticos Guillelmus At, maritus, et erant ibi Guillelmus de Cassanha et Raimunda, uxor eius, de tempore quod supra.

² Corr. ajouter cum.

³ Corr. erat.

Item, dixit se vidisse apud Caussadam, in domo Guillemi de Gosinhac, aventurarii⁴, IV hereticas, quarum nomina ignorat, et erant ibi, Guillemus de Gosinac et pedisseca eius, cuius nomen ignorat, de tempore quod supra.

Item dixit se vidisse in manso de Garriga, in honore de Caussada, Grimaldum, fratrem ipsius et Arnaldus, socius eius, hereticos, et erant ibi, Bernardus Garriga, dominus dicti mansi, et uxor eius, cuius proprium nomen ignorat, et ibi ipse testis adoravit ipsos hereticos, ut predictum est, de tempore quod supra.

Item, dixit quod ipse testis et Stephanus de Garriga, de Najaco, ad preces Guillemi de Caussada, heretici, duxerunt et associaverunt Garsendim et Guillelman, filiam eius, hereticas, in tempore [f^o 214 v^o] quadragesime, in Lombardiam et dimiserunt easdem hereticas in civitate Cremonensi, et propter hoc, ipse testis et Stephanus Garriga habuerunt ab ipsis mulieribus hereticabus C solidos caturcensium, de tempore quod sunt 15 anni vel 16.

Adjecit etiam quod in via, inter Sausam et Terrinum, invenerunt Raimondum Bruguier, barberum de Najaco, qui redibat de Lombardia et locutus fuit ad partem cum ipsis mulieribus hereticabus, dixit etiam quod civitate Placenti hospitati fuerunt cum Johanne Capellano, cive Palcentense, qui receptavit easdem hereticas, et ipsum testem et Stephanum Garriga et providit eisdem hereticabus et ipsi testi et aliis omnibus in die Pascha.

Item, dixit quod pater [f^o 215] ipsius testis, Armandus Donadeu, quando fuit in senio, ivit in castrum de Najaco et ibi fecit se hereticum et inter hereticos finivit dies suos, verum tanem ipse testis non interfuit quando recepit consolamentum ab hereticis, de tempore quod sunt XVI anni.

Item, dixit se vidisse in manso de Somplessac Guillelmum de Causada et Fulgonem de Darnagal et alios hereticos, et ibi prefati hereticos fecerunt apparellamentum⁵ quod vocatur servitium et interfuerunt illi apparellamento ipse testis et Petrus Donadeu, frater ipsius testis, et ibi ambo ipse testis et Petrus Donadeu, frater ipsius testis, adoraverunt ipsos hereticos, ut predictum est. Et post adorationem acceperunt pacem ab ipsis hereticis, osculantes eos in ore bis ex transverso, deinde se ipsos alter alterum simili modo, de tempore ciciter IV annos.

Adjecit etiam quod Bernardus de Castro Novo, de Sancta Circo, venit ad eundem mansum et ibi hereticavit se et ipse testis vidit ipsum Bernardum de Castro novo, factum hereticum in dicto Manso, simul cum aliis hereticis, tenentem et servantem sectam heretice pravitatis.

Item, se vidisse in manso de Lautardia, in honore de Caussada, Sicardum Lunellum et Deodatum de Aucedat et Bernardum Carbonellum, hereticos, et duas mulieres hereticas, et erant ibi Deodatus Lautardi et Guillemus Lautardi, fratres, et uxores dictorum fratrum, quorum nomina ignorat, de tempore VI anni.

Item dixit se vidisse in manso de Maurimon, in Caussada, Guiraudum de Caussada et Guillelmum de Forcas, hereticos, et erant ibi Bernardus Hugo, dominus de Manso et quedam mulier que dicebatur neptis ipsius Bernardi Hugonis, cuius nomen ignorat, de tempore quod supra.

Item, dicit se vidisse apud Guepian, in domo de Barnardi Helias, Isarnum et socium suum, hereticos, et erant ibi Bernardus Helias et Esquilada, uxor eius, de tempore quod sunt X anni.

Adjecit etiam quod ipse testis venerat in domun predictam ad eosdem hereticos, de mandato Guilelmi de Caussada, nunciatur eisdem hereticis quod irent ad ipsum Guillelmum de Caussada, hereticum, in terram de Caussadas.

⁴ Mot inconnu des dictionnaires, cependant nous avons retrouvé ce mot dans un article de Jean Cuvillier, *La population catalane au XIV^e siècle. Comportements sociaux et niveaux de vie d'après les actes privés*, Mélanges de la Casa de Velázquez, Année 1969, Volume 5, Numéro 5, p. 172.

, . Il désigne un salarié temporaire. Ce document est consultable en ligne dans la bibliothèque scientifique Persée.

⁵ Corr. apparellamentum.

Item, dixit se vidisse in dicto manso de Somplèsac alia vice Guillelmum de Caussada et alios hereticos et cum eis Bernardum Heliam, de Guepia, qui apportaverat ipsum Guillelmum de Caussadas, qui erat tunc infirmus, ad eundem mansum cum asino suo, secundum quod idem Bernardus [f° 216 v°] Helias dixit et narravit eidem testi, de tempore circiter VI anni.

Idem, dixit se vidisse apud Najacum, in domo Guillelmi Pellicerii, Raimundam de Romainhano, heretice, et sociam eius quas tenebat ibi uxor Guillelmi Pellicerii, mater ipsius Raimunde de Romainhano, heretice, cuius proprium nomen ipse testis ignorat, de tempore quod sunt X anni.

Item, dixit quod frater ipsius testis, Petrus Donadeu, tradidit eidem quasdam litteras ex parte Guillelmi de Caussada, heretici, precipiens eidem testi, ex parte ipsius heretici, quod ipse testis portaret prefatas litteras apud Caturcum et redderet eas Petro Donadeu, civi Caturcensi, ex parte ipsius heretici, et tunc ipse testis portavit ipsas litteras apud Caturcum et reddidit ipsas prefato civi.

Adjecit etiam se audivisse dici pluries a fratre ipsius testis [f° 217] et ab aliis credentibus hereticorum quod prefatus Petrus Donadeu, civis Caturcensis, habuerat infinitam pecuniam ex deposito ab hereticis et a credentibus eorum, de tempore quod sunt X anni.

Item, dixit quod ipse testis venit in civitate Caturcensi, ad fratrem Petrum Seilla, inquisitorem, causa confitendi, et, requisitus ab eo per sacramentum quod diceret plene veritatem, suppressit tunc veritatem scienter de multis et scienter deiecit, de tempore a III annis citra.

Item dicit quod ipse testis, requisitus per sacramentum a quodam scriptore fratris Bernardi de Caussio, inquisitoris, apud Montem Pessulanis, ubi captus detinebatur, scienter multa suppressit, et multa in confessione quam ei fecit et scienter deiecit, de tempore a festo anni citra.

Item, dixit et confessus fuit se fuisse credentem hereticorum [f° 217 v°] XVIII anni sunt, ita quod, si moreretur inter eos et in manibus eorum et in fide, crederet salvari et, ab eo tempore quo confessus fuit fratri Petro Seilla predicto, non credit hereticis.

Hec deposuit coram fratre Petro Duranti qui legit ei, apud Crassam, in monasterio, omnia supradicta. Testes : Bernardus, capellanus domini episcopi Albiensis, et Raimondus Codainh, Bonum Mancipium, et Guiraudus Trepatis, publicus notarius, qui hec scripsit.